UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Locorvm Commvnivm Religionis Christianæ Partitiones

Arnoldus <Vesaliensis>

Coloniae, 1565

VD16 H 312

Caput 43. Potest ne Deus aliud quid facere, quàm fecit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-30256

Visual Library

enim facere non eſt potentiæ, ſed potius infirmitatis.

Quod autem quędam autoritates dicunt, eum ideo omnipotentem dici, quod poſsit omnia quæ vult, intelligendę ſunt, hoc ſenſu, quod eius voluntas impediri non poſsit.

Filius quoque ſicut & ſpiritus ſanctus, dicitur omnipotens, licèt non à ſe, quia vterque eſt ab altero: tamen per ſe eandem habent omnipotentiā quam pater.

Caput 43.

Poteſt'ne Deus aliud quid facere, quàm fecit?

Aug. in Gen. c. 19.
Aug. de ſymb. lib. 1. cap. 1.

ERrant qui potentiā Dei infinitam, ad menſuram coartare volentes, dicunt Deum non amplius, nec aliud, nec melius facere poſſe, quàm fecit: nec quod facit, omittere poſſe.

Et rationes quas adducunt, nihil habent momenti. Nam quod adferunt de bono & iuſto, quod Deus nihil niſi tale facere poſsit: ſi referatur ad præſens tempus, nihil impedit. Nempe ſi Deus alia faceret, vel meliora, ſimiliter bona & iuſta eſſent: quamuis intuendo temporis vniuer

ſitatem

ſitatem nihil facere poſsit, niſi bonū & iuſtum.

Nec plus roboris habet quod aiūt, Deum nihil facere, niſi quod debet: & omne quod debet, facere, quia verbum debiti in diuinis locum non habet.

Neque illud à rationabili ductum mouere nos debet, ſcilicet omne ꝙ Deus facit, eſſe rationabile: dicimus enim etiam alia rationabilia fore, ſi ea faceret.

Porrò quanquam idem ſint in Deo voluntas & potentia, potentiæ tamē plura ſubſunt quàm voluntati. Hinc rectè dicitur, Deum plura poſſe facere, quæ nō vult, nec facit. Poteſt enim poſsibilia quæq;. *Ioan. 11.*

Poſſet etiam omittere quæ facit, vt, cùm poſsit iuſtificare omnes: non facit tamen.

Caput 44.

Poteſt'ne melius quid facere Deus quàm fecit?

Rerum vniuerſitatem deus meliorem facere poteſt quàm fecit. Nam niſi hoc poſſet, creatura aut eſſet ſummè bona, & ſic creatori æqualis, quod eſt impoſsibile: aut *Aug. lib. 83. quæſ. 50. to. 4.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN